



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Tractatvs De Regimine Ecclesiae Episcopalis In Octo  
Libros Distribvtvs**

**Antonelli, Giovanni Carlo**

**Velitris, 1650**

De beneficiorum concursu. Cap. V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11401**

- omnium anni redditus secundum  
communem estimationem non  
ascenderent ad summam 125. du-  
catorum, non prohibetur a Cō-  
cilio Tridentino, quin ea omnia  
retinere possit, ut refert Zerol. lo-  
co cit. ver. beneficia §. ad septimū  
2. conclus.
- S V M M A R I V M .
- 1 An si adhibeantur examinatores  
non synodales, concursus sit va-  
lidus.
  - 2 Quando expiret facultas exami-  
natorum.  
*Annum celebrandi synodus currit  
a die Synodi ultimo loco cele-  
bratae, ibidem.*
  - 3 Examinatores synodales iurare  
debent, se fideliter munus exe-  
quuturos, & quomodo probe-  
tur tale iuramentum.
  - 4 Item tenentur facere relationem  
Episcopo quoad scientiam, mo-  
res, etatem, & reliqua.
  - 5 Non possunt quidquam occasione  
examinis accipere, & quam-  
pnam incurvant accipientes 17
  - 6 An possint eligi plures examina-  
tores ultra sex.
  - 7 An requiratur nouum examen  
in eo, qui alias examinatus, &  
approbatus fuit ad aliud bene- 20
  - 8 Quem terminum praefigere debet  
Episcopus in edicto pro haben-  
do concursu.
  - 9 An possit Episcopus aliquem ad-  
mittere ad concursum post elap-  
sum terminum.
  - 10 Elapso termino edicti possit Epi- 22
- scopus inchoare examen, non  
tamen claudere, ubi plures fue-  
runt descripti.*
- 11 Si nulla apposita est dies certa-  
in edicto pro inchoando cōcur-  
su, non potest inchoari examen  
absque citatione.
- 12 An subsistat examen factum an-  
te lapsum termini in edicto ex-  
pressi.
- 13 An sit proponendum nouum edi-  
ctum, quando unus tantum  
descriptus fuit, vel si inter plu-  
res descriptos unus tantum die  
prefixo compareat.
- 14 Quando possit Episcopus absque  
concursu parochiale beneficium  
conferre.
- 15 Non potest Episcopus prohibere  
Curatis, ne accedant ad con-  
cursum aliarum parochialium  
ecclesiarum.
- 16 Beneficia parochialia intra sex  
menses conferri debent.  
*Quid facere teneatur Episcopus, si  
parochiales ecclesiae vacant in  
mensibus sedi apostolicae reser-  
uatis, ibidem.*
- 17 Quando Episcopus possit confer-  
re beneficia vacantia in Roma-  
na Curia, vel in mensibus sedi  
apostolicae reseruatis, & n: 18.  
& 19. Regula Cancellarie ex-  
pirant morte conditoris, ibidem.
- 20 Gatera item beneficia infra sex  
menses conferenda sunt, & à  
quo tempore currant predicti  
sex menses.
- 21 Elapso dicto tempore non potest  
ordinarius amplius conferre, sed  
collatio devoluitur ad Superio-  
rem.
- 22 Si Prælati Episcopo inferiores in

Dd tra



- tra dictum tempus non conser- 30 Item an ad possessionem beneficij  
rant, potestas deuoluitur ad ip- per mortem vacantis certum a-  
sum Episcopum, etiam si colla- iure tempus sit praefixum.  
tones sint. Regulares nullit, si ad 31 An valida sit electio dignioris  
inferiores, & Episcopum com- so digniore.  
muniten spectaret collatio. 32 Episcopus conferens parochialem  
23 Deuoluitur etiam potestas confe- ecclesiam digno omisso, digniore  
rendi ad superiorem, si ij, ad mortaliter peccat.  
quos collatio spectat, prouident  
indignis, vel incapacibus.  
Episcopus non tenetur perquirere  
extra Diocesim, ut meliores ha-  
beat, ibidem.  
24 Sci entia vacationis beneficij pra- 33 Quinam dicatur dignior in ta-  
fumitur in Prelato, qui residet in sua Diocesis, bae tamen non  
sufficit ad effectum deuolutio- 34 Nobilis ignobilis est preferen-  
nis, sed certa scientia probanda  
est. 35 Itē minus doctus modā idoneus,  
cuius prudentia, & mores sunt  
noti, preferendus est doctiori,  
cuius vita ignoratur.  
25 Superior, ad quem fit deuolu- 36 Ciuis extraneo ceteris paribus  
tio, habet etiam sex menses ad est preferendus.  
conferendum à die deuolu- 37 An Episcopus possit conferre  
tionis. 38 An in alijs beneficijs curam ani-  
morum non habebibus licitum  
fit eligere dignum. omisso di-  
gniore.  
An valeat collatio facta ab ordi-  
nario post deuolutionem, ibidem.  
26 Si Patronus laicus intra quadri-  
mestrum non presentauerit, Episcop- 39 Ad Parochiale beneficium que-  
copus à tempore ultime diei qua-  
drimestris potest infra sex mē-  
ses beneficium conferre.  
27 Si Episcopus tempore debito be-  
neficium conferat, & prouisio  
ex aliquacatefa non fuerit effe-  
ctum sortita, non deuoluitur in 40 Electus ad parochialem ecclesiam  
tali casu potestas conferendi.  
28 Episcopo habente institutione nul-  
lum tempus praefixum est, in-  
tra quod facienda sit in institutio-  
potest tamen Superior Episcopi  
negligentius supplere.  
Limitatur in beneficiis parochia-  
libus iurispatronatus, ibi- 41 Limitatur, quando Parochus le-  
dem. gitimo fuit impedimento detec-  
29 An praefixa sit à iure tempus 42 Item limitatur in Capellania re-  
ad conferenda beneficia resi- quirente ordinem sacerdotalem.  
gnata ex causa permutationis.

Quir-

- Quando obsinente biusmodi Capellaniam concedatur annus ad suscipiendum Sacerdotium, ibidem.
- 43 Item limitatar quoad obtinentes Decanatum, seu alias dignitates, vel beneficia, qua curam animarum habent annexam.
- 44 Quae etas requiratur in Dignitate, seu Canonico, cui accessoriæ unita sit parochialis.
- 45 Qui beneficium parochiale accipit animo non suscipiendo sacerdotium, tenetur ad restituitionem fructuum perceptorum, & quod hoc procedat.
- 46 Quid si accipiat animo sumendi sacerdotium, & postea voluntatem mutet.
- 47 Et quid, si quis adeptus fuerit Canonicatum sine intentione suscipiendo ordinem sacerdotum, quem habet annexum.
- 48 Canonicus non recipiens ordinem suo Canonicatu annexum peccat mortaliter, priuatur vox in capitulo, & dimidia parte distributionum, & potest etiam Canonicatu priuari.
- 49 Quam etatem habere debet prouisus de Canonicatu in ecclesia Collegiata.
- 50 An Canonicus coadiutor debeat esse constitutus in ea etate, que ad illum Canonicatum oblinendum requiritur.
- 51 An detur appellatio ab electione Episcopi. & num. 52.
- 53 An detur appellatio à reprobatione examinatorum.

C A P. V.

## De Beneficiorum concursu.

## §. I.

An validus sit concursus ecclesiastorum parochialium habitus coram examinatorebus non Synodalibus.

**P**ropositum. Egatine respondent Doctores communiter ex Concil. Trienn. sess. 24 de Ref. cap. 18. ibi, examinatores autem singulis annis in Diocesana Synodo ab Episcopo, vel eius Vicario ad minus sex proponantur, qui Synodo satisfaciant, & ab ea probentur, aduenienteque vacatione cuiuslibet ecclesie tres ex illis eligat Episcopus, quicum eo examen perficiant.

Ex quo etiam obseruant Doctores, adeò necessariam esse qualitatem electionis synodalibus, ut omnino vitietur concursus non solum si examinatores, vel eorum aliquis non sint Synodales, verum etiam si cum tribus, vel quatuor, pluribusue synodalibus aliquis non synodalibus admitteretur, ut censuit Sac. Cong. & Rot. Romana teste Garc. de benef. par. 9. cap. 2. nu. 324. & 325. Barbos de offic. & rot. Parochi cap. 2. num. 71. & de offic. & pot. Episc. par. 3. ali 60. num. 48. quia cum concilium velit examen, & concursum fieri coram examinatorebus synodalibus saltem tribus, si

accedant alij non synodales , non seruatur forma Concilij , cui nihil addi , vel detrahi potest ; & ideo nō habet locum regula , vtile per in-  
tire non vitulatur Massobr. in Prax.  
haben.concurs.requis.13.dub.1.con-  
tra Homobun.de Bon. de exam. ec-  
cles.tract.2.cap.3: quest.30.

2. Obseruant e. quod si ex sex examinato-  
ribus aliqui intra annum suę electionis dececerint , tota fa-  
cultas examinandi vna cum Epi-  
scopo ad superstites , etiam si vnu-  
tantum supereret , spestat eo an-  
no durante ; sed in locum demor-  
tuorum eligendi sunt alij eum ap-  
probatione Capituli ; & si omnes  
decesserint , nouos tunc ab eodē  
Capitulo probandos non pano-  
res sex Episcopos deputare potest  
iuxta decretum Clemens V I I .  
quod refert. Garc. de Benef. par. 9.c.  
2 num. 72. Sbrozz. de Vic. Episc. lib.  
2.q.212.num.8. Barbos. d.all.60.nu.  
47. Massobr. requis.12. dub. 2. hoc  
enam casu cum nondum lapsus sit  
annus celebrandi Synodus , ni-  
hil Episcopo potest imputari , neq;  
per Episcopum stat , quin exami-  
natores in Synodo deputentur : se-  
cūs esset , si lapsus fuerit annus , tūc  
enim cum teneatur Episcopus Sy-  
nodum conuocare ex concil. Trid.  
d.iss.24. de ref. cap. 2. examinatores  
facto ordinarij deficient , & per cū  
stat , quin illos adhibeat : nam Cle-  
mens VIII. concessit Episcopis fa-  
culatem deputādi examinatores extra  
synodum deficientibus , vel  
impeditis synodalibus infra annū  
tantum à Synodo celebrata ; & de-  
creuit , vt statim elapsō anno talis  
facultas , & eorum auctoritas expi-

ret Rot. coram Buratt. dec. 479: per  
tot. & ita etiam declarauit Sacr.  
Cong. teste Ricc. in Prax. for. eccl. p.  
1.resol.641. Vnde si vacatio pa-  
rochialis eteniat post annum à die  
celebratæ Synodi , licentiam depu-  
tandi examinatores extra synodū  
à Sac. Congreg. petere ordinarij  
confuerunt , ut notat idem Bur-  
ratt. d. decif. 479. num. 12. Annum  
verò celebrandi synodum non  
currere à die capte possessionis  
Episcopatus , sed à die Synodi ul-  
timolo loco celebratæ , dicit Massobr.  
d. requis. 12. Barbos. d.all.60.nu. 50.  
& de offic. & pot Paroe. cap. 2.n.60.  
& 61.

Addit tamen idem Massobr. d.  
requis. 12. Galet. in Margar. Cas.  
cōsé. ver. examinatores. & alij apud  
Barbos. d. par. 3. all. 60. nu. 49. quod  
officium synodalium examinatorū  
neque per mortem Episcopi , ne-  
que post annū suę electionis ex-  
pirat , sed semper pro legitimis ha-  
bendi sunt , semperque durant ,  
donec alij seruata forma Concilij  
fuerint electi : verum si anno elap-  
so aliqui ex eis mortui fuerint ,  
officium omnium expirat , & ita  
censuit Sac. Cong. teste Garc. de Be-  
nefit. par. 9. capit. 2. num. 8. & 73. &  
refertur inter dec. nonissim. p. 4. Di-  
uers. decif. 51.

Debet autē examinatores iu-  
rare , se quacunque humana affe-  
ctione postposita fideliter munus  
exequituros iuxta Conc. d.iss. 24.  
cap. 18. & iuramentum necessario  
præstandum est tādīs euangelij  
secundum Garc. d. par. 9. cap. 2. num.  
358. Massobr. requis. 14. dub. 1. Bar-  
bos. par. 3. d. all. 60. nu. 48. Huinsmo-  
di

di vero iuramentum non presumi tamquam solemnitas extrinseca, & ideo probari debet: alias nullus esset concursus Rot. coram Burrat. decif. 362. n. 8. probatur tamen per attestationem Notarij, ac etiam per litteras testimoniales ipsorum examinatorum, ut d. Barbos ubi supra, & decifum refert Massob. d. requis. 14. dub. 4. Hoc autem iuramentum non est necesse sibi praestandum in quolibet examine, vel concursu, sed satis est iuramentum generale semel praestitum vel in synodo, vel extra synodum in manibus ordinarij, vel solius Notarij, et decifum refert idem Massob. loco cit. dub. 3. & notat etiā 6 Garc. par. 9. cap. 2. n. 359.

4. Tenentur etiam facere relationem Episcopo non solum quoad scientiam, verum etiam circa mores, astatem, & reliqua, & debent renunciare quotquot idoneos iudicauerint reliquo iudicio eligendi magis idoneum soli Episcopo iuxta Concilium Tridentinum d. sessione 24 de ref. cap. 18. & censuit etiam Sac. Cong. teste Garc. de Benefic. par. 5. cap. 7. num. 11. Vnde si aliquem approbarent quoad solam litterataram, talis approbatio non subsisteret Rot. coram Burrat. decif. 90. Barbos. d. par. 3. all. 60. num. 95. Massob. requis. 4. dub. 2.

5. Nec possunt quidquam prorsus occasione examinis nec ante, nec post accipere, alioquin Simoniae vitium tam ipsi, quam alij dantes incurunt, à qua absolu nequeunt nisi dimissis beneficijs, quae quomodocunque etiam ante obtinebant, & ad alia in posterum inha-

biles redduntur ex d. Cone. loco cit. cap. 18. cuius dispositionem procedere etiam in re modica, velle us momenti etiam gratis, & liberaliter data, & ad captandam benevolentiam, dicit Garc. de Benefic. par. 9. cap. 2. num. 390. quem refert Bonac. in de Simon. disp. 1. q. 7. pun. 2. diffic. 1. n. 5. Barbos. de offic. & pot. Parochi. cap. 2. num. 79. & 80. quia Concilium prohibet, ne quidquā prorsus accipiatur, quamvis contrarium teneat alij Doctores, quos refert, & sequitur Dian. par. 5. tr. 5. resol. 2. vers. non desinam, qui putant, etiam in Simonia dari parvitudinem materiae.

Sed quæres, an possint in Synodo eligi plures examinatores etiam ultra sex? Resp. affirmatiuè, non tamen plures, quam viginti admitti possint ex decreto Sac. Cong. apud Barbos. par. 3. all. 60. n. 47.

Quæres 2. an requiratur nouū examen in eo, qui alias examinatus, & approbatus fuit ad aliud beneficium parochiale? affirmatiuè respondet Ricc. in Præc. for. eccles. par. 4. ref. 74. & alij commun. quod procedit, etiamsi esset famosissimus Doctor, qui cum maximo applausu per plures annos legerit, vel si esset Vicarius ipsius Episcopi, ut dicit Quarant. in ver. Beneficiorum panochialium collatio, ubi refert ita declarasse Sac. Cong. ratio est, quia huiusmodi examea requiritur pro forma per Concilium Tridentinum d. sess. 24. cap. 18. & per consil. Pij V. incip. Inconferendis, quam refert Quarant. in verb. Benefic. paroch. collatio. Vnde collatio aliter facta esse nulla, & pro-

uisus teneretur ad fructuum perceptoram restitutionem, ut decis. refert Ricc. in collect. dec. 712. p. 3.

Obseruat tamen idem Ricc. in Prax. ut supra par. 4. ref. 70. quod in Curia semel examinatus, & approbat ad beneficiū simplex, Canonicatum, dignitatem, vel Curatum, non amplius examinatur ad simile. Sed hoc procedere potest, quando alio modo, quā per concursum beneficia parochialia conferuntur, ut colligitur ex decreto Sac. Cong. quod refertur inter Decis. nouissim: par. 4. diuers. dec. 32.

### S. I I.

*An à iure prescriptus sit terminus ad habendum concursum.*

**8** **E**piscopus habita notitia vaccinationis ecclesiaz parochialis edictum pro concursu prōponere debet cum termino decēm dierum, quem ex causa legitima ad alios etiam decēm dies potest prorogare iuxta Conc. Tridentinum d. Ieff. 24. cap. 18. & constitutionem Pij V. incip. In Conferendis.

**9** Potest tamen Episcopus aliquē admittere ad concursum, etiam si terminus ab ipso præfixus fuerit clapsus, & Aduersarius, qui comparuerat durante termino, contradicat: quod videtur suadere aequitas, & sautor ecclesiaz, cuius interest, ut plures oppositores concurrant Rot. in Calaguritana dimidij beneficiū 22. Aprilis 1602. coram Ortenbergo, quam refert

Ricc. in Prax. for eccles. par. 3. ref. 522. præsertim si legitimè impeditus fuit, vel iustum habuit causam excusationis, vel ratione ignorantia, vel absentiæ seu alterius impedimenti arg. cap. cxxvii. tua Qui matrim. accus. poss. Barbos. de offic. Paroch. cap. 2. nu. 44 & 45. ubi refert, ita resoluisse Rotam in Firmana Parochialis 6. Martij 1592. coram Card. Pamphilio Sen.

**10** Elapsō termino edicti potest quidem Episcopus examen inchoare, non tamen illud eadem die claudere, vbi plures faciunt descripti, sed sunt expectandi, vel vocandi: alioquin vitiatur concursus, si ex pluribus descriptis vnius, aut non omnes examinentur, eisq. minimè expectatis claudatur concursus cap. fin. de elect. in 6. Seraphin. dec. 11. 48. numer. 5. Barbos. de offic. & pot. Epist. par. 3. all. 60. num. 51. Massobr. in Praze. habent. concurs. requis. 3. dub. 10. vbi

**11** etiam dicit, quod si nulla apposita est dies certa in edicto pro inchoando concursu, non potest inchoari examen absque citatione; vnde inoleuit consuetudo, ut oppositores descripti pro examine speciali monitione citentur ad certam diem. Subsisteret **12** tamen examen factum ante lapsum termini in edicto expressi, si nullus postea compareat, ut tenuit Rot. in una Carthaginen. Parochialis 9. Decembbris 1588. coram Orano, quam refert Barbos. par. 3. d. all. 60. nu. 46. instar collationis facta per ordinarium spreti patrono, quæ Patrono non com-

comparante intra tempus datum ad praesentandum tenet, ut dic. Gac. de Benef. par. 9. cap. 2. num. 10. 326.

13 Si vero unus tantum descrip-  
tus fuerit, ille examinandus est,  
& si idoneus reperiatur, benefi-  
cium est ei conferendum, ut cen-  
suit Sacr. Congreg. teste Vgolin: de  
offic. & pot. Episcop. cap. 50. §. 10. n. 4.  
Gac. de Benef. par. 9. cap. 2. n. 215.  
Maffobr. in Prax. haben. concurs.  
requis. 3. dub. 8. Barbos. d. all. 60.  
num. 51. ita etiam si plures fuerint  
descripti, & die præfixo pro  
concurso, & examine unus tan-  
tum comparuerit reliquias legitimam  
excusationem, vel impedimentum  
minime allegantibus, non est proponendum aliud edi-  
ctum, sed illi beneficium confe-  
rendum est, si in examine idoneas  
repertus fuerit, ut similiter  
censuit Sacr. Cong. referente Gac.  
d. par. 9. cap. 2. num. 215. & sequent.  
Maffobr. in Prax. haben. concurs.  
requis. 3. dub. 7. secus esset, si alii  
descripti aliquod legitimum im-  
pedimentum deduxerint, quia tunc  
Episcopus tempus proroga-  
re debet, ut declarauit Sac. Cong.  
teste Leonin. Thes. for. eccl. par. 2.  
cap. 3. num. 55. & 56. Gac. d. p. 9.  
cap. 2. num. 215. Quarant. in ver.  
Benefic. Parochialium collatio vers.  
Denique queritur.

14 Sed quando nullus comparuit,  
aut certe nullus ex comparantibus  
vult subire examen, Episco-  
pus alium terminum præfigere  
debet, seu aliud editum proponere;  
& si nemo adhuc compa-  
ret, vel nemo idoneus reperiatur,

tunc poterit parochiale benefi-  
cium absque concursu conferrere,  
Barbos. de offic. & pot. Paroch. cap.  
2. num. 51. Quarant. loco cit.

15 Concursus autem huiusmodi  
omnibus liber esse debet: & ideo  
non potest Episcopus prohibere  
Curatis, ne accedant ad concur-  
sum aliarum parochialium ecclie  
fiarum, ut resoluit Sacr. Congreg.  
Episcop. & Regul. die 26. Augusti  
1591. referente Barbos. de offic. &  
pot. Paroch. cap. 2. num. 48:

### S. III.

*An à iure præfixum sit tempus ad  
conferendum beneficia  
parochialia.*

16 Ordinarij collatores ecclie  
parochiales vacantes infra sex mensium spatium à die  
vacationis peracto examine iux-  
ta formam Concilij Tridentini  
conferre tenentur, alias dicto  
sex mensium termino elapsa sedi  
apostolice reservantur ex citata  
constituzione Pij V. incip: In con-  
ferendis. quando vero vacant  
parochiales in mensibus sedi apo-  
stolicae reservatis, tenentur or-  
dinarij intra quatuor menses à  
die illarum vacationis attestatio-  
nem examinis cum significatio-  
ne personæ magis idoneæ elec-  
ad Papæ Datarium transmittere,  
alias clapsis quatuor mensibus,  
earum collatio, præmissio, institu-  
cio, & omnimoda dispositio sedi  
apostolicae reservatur, ut in d.  
constituzione Pij V.

17 Potest autem Ordinarius be-  
neficia

nēficia parochialia, seu curata, quā apud Sedem Apostolicam, seu in Curia vacare contigerit vacante eadem sede, liberē conferre, etiam si videntur in Curia ipso Romano Pontifice viuente, si ante collationem Apostolica Sedes vacauerit cap. si Apostolica de Præb. in 6. quemadmodum alia etiam beneficia, etiam si videntur in mensibus Sedis Apostolice, ab Episcopo eadem sede vacante conferuntur, donec nouus Pontifex Cancellaria regulas iterum publicet: quia hēc mensum reseruatio est personalis, & ideō mortuo Papa expirat Gar. de Benef. par. 5. cap. 1. nu. 643. quem reserf Layman. in Theol. mor. lib. 4. tract. 2. cap. 11. num. 1. Gomes. in Reg. de Publican. resign. q. 6. vers. sed istis Barbos. de offic. & potest. episc. par. 3. all. 57: nam. 62. & 192:

18 Hoc tamen procedit, quando reseruatio inducitur in ipso obitu possessoris, & sic in vacatione, qualia sunt beneficia reseruata ratione temporis, prout in reg. 8. Cancellarie, tunc enim si talis vacatio contingat Sede Apostolica vacante, collatio ad Ordinarium spectat: quia regula Cancellariae eo tempore iam expirarunt; securus esset, si reseruatio personæ possessoris adhæreat, vel ratione personarum, puta si erat familiaris Cardinalium, Collector, vel Subcollector: vel ratione ipsius beneficij, videlicet si esset prima dignitas, sive alio modo ratione rei affectum Sedi Apostolice: quia licet Sede Apostolica vacante regula Cancellaria tamquam au-

& oritatis tunc destitutę non inducant tempore vacationis reseruationem, non inde tamen reseruationes prius viuente Pa. pa, & regulis vigentibus inductæ desinunt, aut expirant, cum beneficium semel affectum semper remaneat affectum extrauag: Ad Romanis de Præb. Gomes. in Reg. de Publ. resign. q. 6. vers. tamen contra predicta Gar. par. 5. cap. 1. n. 789. & ita resoluta Rota in Abulon. Parrochialis 24. Ianuarij 1594. coram Corduba, & in Andrien. Archidiaconatus 5. Decembbris 1625. coram Merlino, & in alijs, ut reserf Barbos. de offic. & pot. Episc. par. 3. all. 57. num. 62. vers. fin.

19 Itaque attendendum est, an qualitas inducens reseruationem semel detur stante, & vigente regula, quia tunc statim reseruatio est locus, & affectio inducitur: si verò non detur stante regula, sed postquam illa expiravit, tunc reseruatio locum non habet, nec afficit beneficium, Aeneas de Falcon. de reseruat. 4. quæst. effect. 17. Gemin. cons. 93. nu. 15. quos reserf, & sequitur Gar. de Benef. p. 5. c. 1. num. 791. unde neque illius beneficia erunt reseruata, qui sedevacante in familiā alicuius Cardinalis receptus fuit, & ea durante à seruitio discessit Barbos. d. par. 3. all. 57. num. 110. ubi citat Mandos. ad reg. 32. q. 11. Anastaf. German. de Indult. Cardin. I. per quod sublati n. 99. Ioann. à Coch. in Prohem. reg. Cancell. nu. 23:

20 Cætera quoq. beneficia infra sex menses conferenda sunt cap. nulla de Concess. Rræb. huius mondi

di verò sex menses à die scien-  
tia vacationis computantur cap.  
licet de supplen. negl. Prälat. cap.  
quia diuersitatem in fin. de Cöcess.  
Prab: & decimum refert Ricc: in  
Prax. for. eccl. p. 1. ref. 166: quod  
procedit, si Episcopus debitam  
sua professioni diligentiam adhi-  
buerit visitando Diœcesim iuxta  
tempus à sacra Tridentina syno-  
do præscriptum in seff. 24. de ref.  
cap. 3. alias si negligens fuerit, sex  
menses prædicti currunt ab eo  
tempore, quo Episcopus potuit,  
vel scire debuit vacationem, ut  
decimum refert Barbos. d. par. 3. all.  
58. num. 6. & all. 126. nu. 46. & seq.  
vbi id arbitrio iudicis remittit oö  
siderata beneficij qualitate, vaca-  
tionis modo, & tempore, ac di-  
stantia locorum! Vnde elapso di-  
cto tempore non potest ordinari  
amplius conferre, sed colla-  
tio deuoluitur ad Superiorem  
cap. 2. de concess. Prab. videlicet ad  
Archiepiscopum, & de Archiepi-  
scopo ad Papam cap. licet de sup.  
22 plen. negl. Prälat. quemadmodū  
si Prälati Episcopo inferiores in-  
tra dictum tempus non conferat,  
potestas deuoluitur ad ipsum Epi-  
scopum, ut in d. cap. 2. de Concess.  
Prab: etiam si collatores essent Re-  
gulares clement. vn. de supplen. negl.  
Präl. cuius dispositio procedit  
quoad eos Prelatos regulares,  
qui immediate subsunt Romano  
Pontifici, non vero in ijs, qui licet  
exépti sint à iurisdictione Episco-  
pi, tamen immediate non sub-  
sunt Romano Pontifici, sed alteri  
Prelato: tunc enim talis potestas  
ex prædicta negligentia deuolui-

tur ad huiusmodi Prälatu, ut post  
glos. ibidem in ver. Prälat. & alios  
obseruat Barbos. d. p. 3. all. 126. nu-  
mero 69.

Secus esset, si ad inferiores, &  
Episcopum communiter spe&a-  
ret collatio: quia tunc deuelutio  
non fiet ad Episcopū, sed potius  
ad Archiepiscopum tamquam ad  
proximum superiorem cap. positi-  
lastis de Concess. Prab.

23 Idem dicendum, si ij, ad quos  
collatio spe&tat, prouident indi-  
gnis, & incapacibus: hoc enim  
casu deuoluitur etiā potestas cō-  
ferendi ad superiorem cap. cum in  
cunctis §. fin. de elect. cap. si compro-  
missarius eodem tit. in 6. & dicunt  
Doctores, quos refert, & sequitur  
Garc. de benef. par. 10. cap. 3. n. 2.

24 Quamvis autē presumatur no-  
titia vacationis Beneficij in Prälato,  
qui residet in sua Diœcesi, ut  
dicit Ricc. in Prax. for. eccl. par. 2.  
refol. 184. hæc tamen notitia, seu  
scientia vti præsumpta non suffi-  
cit ad effectum deuolutionis; &  
ideò in tali casu certam in infe-  
riori collatore scientiam esse  
probandum tenuit Rota dec. 186.  
par. 2. Recent. & in Bononien. Ter-  
rarum 20. Octobris 1582. coram  
Bubalo, & in firmana Beneficij  
12. Maij 1595. coram Card. Blan-  
chetto, quos refert Barbos. d. par. 3.  
all. 58. num. 18. & 19.

25 Superior verò, ad quem fit de-  
uelutio, habebit etiam sex men-  
ses ad conferendum à die deu-  
olutionis, seu verisimilis noritiz  
Garc. par. 10. cap. 3. num. 11. Barbos.  
loco cit. all. 58. num. 11. & seq. vbi  
etiam dicit, quod si interim col-

latio fiat ab ordinario post incur-  
sam deuolutionem etiam die mox  
sequenti, non tenet *tuxta dec.* *Rota*  
*in Toletana Paroch.* 17. Aprilis  
1595. coram Card. Pamphilio: in  
conferendis enim beneficijs non  
est locus purgationi moræ, quia  
elapsis sex mensibus sit exequitio  
ab ipso iure, ut dicit Ricc. in  
*Prax. for. eccl. s. par. 2. resol. 253.* ita  
etiam si patronus laicus intra qua-  
drimestre non presentauerit, E-  
piscopus a tempore ultimæ diei  
quadrimestris potest infra seme-  
stre beneficium conferre. *Bisignet.*  
*decis. 7. de Præben. Bellam. dec. 107.*  
& *decis. 2. 12. Cantus. dec. 109.* quos  
refert, & sequitur Ricc. in *Collect.*  
*decis. 2453. par. 6.*

27 Verum si Episcopus intra sex  
menses contulerit beneficium, &  
prouisio ex aliqua causa non fue-  
rit effectum sortita, ut quia pro-  
uisius noluit acceptare, aut renun-  
ciauit, aut decessit, aut quia col-  
latio ob aliquod occultum vitiū  
irrita fuit, non deuoluitur in  
tali casu ad alium potestas prouidendi:  
quia iam Episcopus sece-  
rat quidquid ad ipsum spectabat,  
& ideo poterit Episcopus iterum  
infra iuris terminum computan-  
dum a die prædicti dissensus, re-  
nunciationis, mortis, aut irrita-  
tionis beneficium conferre ac si  
vacatio noua esset, dummodo nil  
fraudulenter gesserit in premissis,  
ut est *tex. in cap. si elettio de elect.*  
in 6.

28 Nullum autem tempus Episco-  
po habenti instituere præfixum  
est, intra quod facienda sit insti-  
tutio, sicut præfixum est collato-

ri ad conferendum, ut obseruat  
Ricc. in *Prax. for. eccl. par. 2. resol.*  
260. ubi dicit, quod *tex. in d. cap.*  
*nulla de Concess. Præb.* in quo pre-  
figitur spatium sex mensium ad  
conferendum, habet tantum lo-  
cum in habente liberam potesta-  
tem conferendi, non autem in  
collatione necessaria, & ideo be-  
neficium non esse deuolutum ex  
eo quod ordinarius distulit insti-  
tuere, resoluit Rota in Dertonem:  
*Iurispatronat.* 8. February 1599.  
coram Penia, ut refert idem Ricc.  
in *Prax. par. 4. res. 405. Barboz. p. 3.*  
*all. 72. num. 191.* & *all. 126. nu. 52.*  
ubi alios refert: poterit tamen Ar-  
chiepiscopus eius Metropolitanus  
eidem Episcopo præfigere  
tempus, eiusque negligentiam  
supplere; vel statim, ac Episco-  
pus differt instituere sine causa  
legitima, appellari potest ad Su-  
periorem a grauamine illato, ut  
dicunt Doctores apud Ricc. loco cit.  
*res. 403.* requiritur tamen trina in-  
terpellatio, ut possit appellari a  
retardata, seu denegata institu-  
tione, ut *decisum refert Barboz.*  
*d. all. 72. num. 193.*

Hoc tamen limitatur in Bene-  
ficijs parochialibus iurispatrona-  
tus tam ecclesiastici, quam laica-  
calis: tunc enim institutio fieri  
debet ab Episcopo intra duos  
menses a die præsentationis, alias  
deuoluitur ad Metropolitanum,  
seu vicinorem ordinarium, aut  
ad sedem apostolicā arbitrio Pa-  
tronorum *iuxta citatam confi-*  
*tionem Pij V incip. In conferendis.*

29 Addit Ricc. in *Prax. for. eccl.*  
*par. 2. res. 260.* quod neque est præ-  
fi-

fixum à iure tempus ad beneficia resignata ex causa permutationis conferenda : sed contrarium colligiturex cōstitutione Greg. XIII. incip. *Humano vix iudicio, quam refert Quarant. in ver. Benefic. resgnat. publicatio , ibi, de beneficijs autem, quæ deinceps in manibus ordinariorum collatorum etiā Cardinalium, etiam indulta, & facultates ad hoc ab apostolica sede habentium, ac legatorum etiam de latere, & delegatorum etiam specialium eiusdem sedis extra Romanam curiam resignari etiam ex causa permutationis contigerit, ipsi intra mensem negotium uniuersum admissionis, vel reiectionis resignationis huiusmodi, & ( si per eos facienda erit) prouisionis resignati beneficij iuxta apostolicas, & alias canonicas sanctiones omnino absoluat. ex qua quidem cōstitutione obseruant nonnulli recentiores, quod licet ordinarius debeat infra mensē admittere, vel reiucere Resignationem, nihilo minus habet sex menses ad conserendum iuxta canonicas sanctiones, ita ut admissio, & reiectione cēseantur restricta, & limitata ad mensem : at collationis tempus reguletur secundum dispositionē iuris communis in d. cap. nulla de Concess. Prab. & d. confit. Py V. incip. In conferendis, ita Massobr. in Prax. haben. concurs. requis. 7. dub. 1. quem refert, & sequitur Barbos. p. 3. alleg. 69. num. 51.*

*30 His adde, quod neque ad possessionem beneficij per mortem, vacantis, & ordinaria auctoritate collati ullum à iure tempus prez-*

fixum est, licet possit beneficiarius ad id per Superiorē cogi, & ipso etiam beneficio priuari , vt dicit idem Ricc. in Prax. ut supra par. 2. resolutione 265.

## S. IV.

*An valida sit electio digni omissione digniore in Beneficij parochialibus .*

*31 C*ommunis est opinio, quod huiusmodi electio de digno omisso digniore valida est in foro fori , vt litium occasione amputentur : quia alias omnis electio posset habere calumnias, ita S.Th. 2.2.q.63.art.2.ad 3. Barbos. de offic. & pot. Paroch. cap. 2. nu. 98. & de offic. & pot. Episc. p. 3. all. 60. num. 97 ubi citat Sot. lib. 3. de Iust. q. 6. ar. 2. & lib. 10. quest. 2. art. 3. Bann. de Iust. quest. 63. ar. 2. post dub. 3. vers. ad confirmationem Filii. Iuc. tract. 4. de Benefic. capit. 4. à n. 177. Valent. 2.2. disp. 5. quest. 7. pun. 2. Secundo queritur vers. secunda assertio Iacob. de Graff. in aur. decis. par. 1. lib. 2. cap. 99. nu. 2. Flamin. de Resgn. lib. 10. q. 11. nu. 36. Azor. Instit. mor. p. 2. lib. 6. cap. 15: quest. 1. Rebell. de oblig. Iust. p. 1. lib. 3. q. 4. Rot. decis. 40. par. 1. Recent. & in Eugubina Parochialis S. Venātij 13. Ianuarij 1623. coram Rem-

*32 boldo; grauter tamen peccaret Episcopus conferendo ecclesiam parochiale digno omisso digniore, quia in rali casu violatur iustitia distributiva : iura enim praecipiunt, vt parochiales ecclesiae dignioribus, ac magis idoneis con-*

Ecc. 2 fe.



ferantur, ut constat ex Conc. Trident. d. sess. 24. cap: 18. & ex citata Constitutione Pij V. incip. In conferendis, & ideo tenebitur digniori damnum refarcire, quod inde illatum illi fuit Sylu. in ver. restitutio 3. q. vlt. vers. Secundo Caiet. 2. 2. quæst. 62. ar. 2. ad 4. Grat. decif. Rot. March. 97. quem refert. Ricc. in Collect. decif. 712. par. 3. Dian. par. 2. tr. 15. ref. 40. excusabitur tamen Episcopus, si conferat dignioribus in Dicecessi existentibus: non enim teneatur perquirere extra suam Dicecessum, ut meliores habeat, ut post Caiet. Galios dicit Barbos. d. all. 60. num. 99.

33 Dignior verò in hoc casu non simpliciter dicitur ille, qui doctior est, vel sanctior, sed is qui iuxta munus, & rem, cui præficiendus est, utilior, & aptior eius ministerio appetet. S. Tho. 2. 2. q. 63. art. 2. Rot. in Rauennaten. Parochialis 2. Decembris 1592. coram Arigonio, & eoram Buratt. decif. 22. num. 29. ubi aliae decisiones referuntur. in quo multum, desertur iudicio Episcopi cap. in praesentia de Renunc. unde non est consideranda solum idoneitas respectu scientiæ, sed etiam respectu ætatis, morum, prudenter, & huiusmodi ad Ecclesiā parochialē gubernādā, ut constat ex Concil. Trident. d. sess. 24. c. 18. aliquando enim minusciēs, & minus sanctus melioribus præferendus est, quando magis confere potest ad bonum commune propter potentiam, vel industriam sæcularem, vel propter aliquid hu-

iusmodi S. Thom. loco cit. d. ar. 2. 34 Quare nobilem ignobili præferendum esse dicit Ricc. in Prax. for. eccles. par. 3. ref. 554. Barbos. d. ali. 60. num. 101. ubi refert. ita tenuisse Rot. decif. 61. par. 1. Recentis. quia homines, & iura nimium tribuunt nobilitati l. 2. C. de offic. di. uer. Iud. l. potioris C. de off. Rect. Prouinc. item minus doctus, modò idoneus, cuius prudentia, ac mores sunt noti, præferendus est doctiori, cuius vita ignoratur, ut censuit Sacr. Cong. teste Pia sec. in Prax. Episc. par. 2 cap. 5. num. 19. Ricc. in Prax. par. 3. ref. 521. Rot. d. decif. 22. numer. 29. coram Buratt. d. all. 60. num. 99.

36 Hinc etiam ciuis extraneo cæteris paribus præferri debet, ut in cap. nullus inuitis 61. dist. capit. nō pro defectu de elect. cap. bone memorie 2. 9. intellectimus de Post. Prelat. & docent communiter Doctores, quia ciuis in pluribus cōsuevit esse utilior quantum ad bonum commune, quia magis diligit ecclesiā, & facilius ad residentiam inducitur S. Tho. loco cit. d. ar. 2. ad. 4. latè Barbos. d. par. 3. all. 60. nu. 102.

37 Addit Ricc. in Prax. par. 1. ref. 654. ex decreto Sacr. Congr. quod potest etiam ecclesia parochialis illi conferri, qui vnius tantum examinatoris suffragium habuerit, si melius iudicio Episcopi ecclesiæ prouideri nequit.

38 In alijs verò beneficijs curam animarum non habentibus licetum est tam in foro externo, quā in foro conscientiæ eligere dignum, omisso digniore secundum receptam sententiam, quam tenet.

M. A. H.

*Naz. de Restit. lib. 2. cap. 2. nū. 172.  
Ledesm. in Sum. par. 2. tract. 7. c. 2.  
cōcl. 7. diffic. 15. Gutier. Can. qq. lib.  
2. cap. 11. num. 12. Gare. de Benef.  
par. 7. cap. 16. num. 16. quos refert,  
& sequitur Dian. par. 2. tr. 15. ref.  
38. vers. quarta opinio.*

## S. V.

*Quae etas requiratur in electo ad  
Parochiale ecclesiam.*

**39** **A**d parochiale beneficium requiritur, quod electus compleuerit annum 24. & attigerit annum 25. atque infra annum à die possessionis pacificè acquisitè numerandum ad sacerdotium promoueri debet, alias elapso anno ipso iure nulla etiā monitione præmissa priuatus est beneficio parochiali *cap. licet canon.* & *cap. commissa de elec. in 6.* & tenetur relinquere beneficium vna cum fructibus etiam ante Iudicis sententiam, si infra annum ordinatus non fuerit *Nau. in man. cap. 25 num. 118. & cons. 12. num. 2. de Rescript.* quod procedit etiamsi lis deinde mota fuerit super beneficio: adhuc enim teneretur sub dicta pœna intra annum sacerdotium suscipere, dum modò per vnum, aut duos meas finē molestia beneficium posse derit, vel habeat pacificè exercitum curæ, quamuis non possideat maiorem partem bonorum Sarnen: *in reg. de Trienn. q. 53. vers. & ideo.*

**40** **H**ec tamen conclusio limica-

tur 1. quando Parochus legitimo impedimento detentus fuit, ne sacerdotium intra annum suscipere, puta quia Episcopus non potuit, seu noluit ordines conferre propter illitteraturam, vel aliam causam *d. cap. commissa de elec. in 6. & censuit Sacr. Congr. teste Barbos. de offic. & pot. Episc. par. 3. all. 60: num. 84.* & tunc cessate impedimento quoad utrumque forum non aliis annus integer dandus est ad sacerdotium suscipiendum, sed tantum temporis, quāto fuit impeditus *Nau. cons. 1. de In integr. restit.*

**41** Limitatur 2. in Capellania, requirente ordinem sacerdotalem; quamuis enim illam obtinens teneatur infra annum promoueri, tamen si intra dictum tempus promotus non fuerit, nō priuatur beneficio ipso iure, sed per sententiam, & præmissa monitione superioris *cap. 1. de atat. & qual. Rot. in Tullen. Monasterij S. Mansueti 17. Martij 1597. coram Penia, quam refert Ricc. in Prax. for. eccl. par. 3. ref. 307.*

Sed obserua, quod tunc datur annus obtainentibus huiusmodi Capellaniis, quando verba foundationis non respiciunt actum collationis, vel præsentationis, secus quando ordo sacerdotalis, requiritur in ipso actu collationis seu præsentationis, vt si dicatur, quod præsentetur sacerdos, seu Capellanus, qui missas celebret, quia tunc nō datur annus ad suscipiendum sacerdotium, sed requiritur, quod præsentatus de eo tempore sit actu sacerdos, quia-

qualitas iuncta verbo intelligitur secundum tempus verbi. *in delictis* §. 1. ff. de Noxiall. *Titus*: ubi Bart. ff. de milit. testam. Ricc. loco cit. ubi etiam refert, ita tenuisse Rotam in Romana Capellania de Capizucchis 20. *Nouembris* 1563. coram Cotta, & in alia Romana etiā Capellania 19. *Martij* 1586. coram Card. Pamphilio.

43 Limitatur 3. quoad obtainentes Decanatum, Archidiaconatum, seu alias dignitates, vel beneficia, quae curam animarum habent annexam: isti enim, quāuis vigesimum quintum etatis annum attingere, & infra annum Sacerdotium similiter suscipere, debeat iuxta texet. in d. capit. licet canon, & cap. cum ex eo de elect. in 6. Conc. Tridentin. seff. 7. de ref. cap. 12. & seff. 24. cap. 12. non tam tenentur in conscientia elapsi anno, & non suscepto sacerdotio relinquere beneficium, nisi præcesserit monitio, & Iudicis sententia cap. cum in cunctis §. in inferiora de elect. glos. in cap. licet canon. ver. priuatus eod. tit. in 6. Barbos. de offic. Paroch. cap. 5. num. 10.

de si parochialis vaita esset auctoritate alicui Canonicatui Ecclesiae Cathedralis, sufficeret zetas 22. annorum, quae in Canoniciatus collatione requiritur, ut censuit Sacr. Congreg. teste Piassec. in Prax. Episc. par. 2. cap. 5. nu. 21. vers. ad dignitatem Barboſ. d. alt. 60. num. 66. & seq. vbi etiam dicit, vigesimum secundum annum requiri in tali caſu incæptum, non autem completam, ut resoluīt Sacr. Congr. referente Gratian. discept. 591. nu. 9.

Immò sufficeret, vt prouisus  
sit in ea etate, vt infra annum  
possit promoueri ad ordinem.  
Canonicatui annexum iuxit Tri-  
dentinum sef. 24. c. 12. & censuit  
Sac. Congr. teste eodem Barboſ. d.  
all. 60. nu. 70.

Præterea tenetur etiam ad restitutionem fructuum perceptorum qui parochiale beneficium adeptus est animo dimittendi, & non suscipiendo sacerdotium, nisi mutata voluntate deinde intra annum ordinetur c. commissa verba ceterum de elect. in 6. quod intelligendum est, si animo absoluto mutandi statum id faciat, non tamen si animo dubio, & conditionali perseverandi in clericatu, nisi aliqua melior conditio mutandi statum se offerat Nam in Man. cap. 25. num: 118 in fin. & conf. 17. de Cler. non resid. si vero suscipiat animo sumendi sacerdotium, & postea voluntate mutet, non tenetur quidem restituere fructus perceptos eo tempore, quo sanam habuit intentionem, sed tantum perceptos

tempore, quo voluntatem mutauit glos. in dict. cap. commissa ver. non intendens, & alij apud Barbos. de officio. Paroch. cap. 5. numer. 15.

47 Hoc tamen non procedit in beneficijs, quę non habent annexam curam animarum, quales sunt Canonicatus in ecclesijs Cathedralibus, etiamsi habeant annum ordinem sacrum; si quidem iura solum statuerunt penam restitutionis contra Beneficiarium, qui recepit beneficium curatum sine tali intentione, & ideo tamquam poenalia extra suum casum non debent extendi Nau. loc. cit. Ricc. in Prax. ut supra par. 3. ref. 474 peccaret

48 tamen mortaliter Canonicus nō recipiens ordinem suo Canonicatus annexum, quia non haberet intentionem seruandi sacros canones in re graui; & si intra annum non ordinetur, priuatur etiam voce in capitulo, & dimidia parte distributionum iuxta clem. ut ij qui De etat. & qualit. quam innouauit Conc. Tridentinum. seff. 22. de ref. cap. 4. immo in tali casu Episcopus illum priuare potest Canonicatu, & procedere potest ad priuationem etiam

sine adiunctis, ut censuit Sacr. Congregatio teste Ricc. in Prax. for. eccles. par 4. ref. 592: quod etiā

49 locum habet quoad Canonicos Ecclesię Collegiatę, si ex antiqua consuetudine, vel statuto aliquem sacrum ordinem habet annum, ut declarat textus in d. clem. ut ij qui, iuncta glos. in

ver. annexi. Vnde in tali casu pruisus de Canonicatu in ecclesia Collegiata eius debet esse etatis, ut intra annum ad illum ordinem promoueri possit iuxta Concil. d. seff. 22. cap. 4. secus si nullum tale adsit statutum, vel consuetudo; quia tunc requisita etatis quoad dignitates, & Canonicatus in Collegiatis Ecclesijs obtinentes remanent in dispositione iuris communis: quia Concilium in hoc nihil innouauit, ut declarauit Sac. Congregatio referente Pias. in Prax. Episc. par. 2. cap. 5. num. 21. & ideo in illis sufficit etas 14. annorum iuxta cap. super inordinata iuncta glos. in ver. pueri de Praeben. etiamsi completi non fuerint, modò sint incepti, ut censuit Sac. Congregatio Concilij apud Farinac. decis. 155. parte 4. Diuers. Barbos. de offic. & pot. Episc. par. 3. all. 60. numero 75. & 76. Ricc. in Prax. parte 1. ref. 180. potest tamen Episcopus cogere aliquos Ecclesię Collegiatę Canonicos ad sacrum ordinem suscipiendum, si eiusdem ecclesię necessitas id postulet cap. queris de etat. & qual.

50 Ultimò obseruant Doctores, quod etiam Canonicus coadiutor, si resideat, & inseruiat, debet esse constitutus in ea etate, qua ad illum canonicatum obtinendum requiritur ita ut infra annum promoueri debeat ad ordinem suę præbēdæ annum iuxta Conc. Trident. seff. 24. de ref. cap. 12. & seff. 25. de ref. cap. 7. secus si nūquam

quam resedit, vel inserviat: tunc enim non tenetur suscipere infra annum ordinem requisitum, cum non habeat exercitium coadiutoria; quemadmodum habens curam habitu, & non actu non tenetur infra annum promoueri ad sacerdotium, ita *Barbos de Canon.* & *dignit. cap. 29. numeri 37. & 49.* & alijs.

## §. VI.

*An detur appellatio ab electione Episcopi.*

51 **R**esp. dari quidem appellatio-  
nem ad effectum deuolutiuū  
non autem quoad effectum suspensi-  
uum; & ideo interim prouisus  
appellatio pendente à paro-  
chiali amoueri non debet, nè pa-  
rochiales ecclesiae diu in suspen-  
so remaneant, ut statuit Cōc. Tri-  
dentinum sess. 24. de ref. cap. 18. &  
Pius V. in d. constit. incip. In confe-  
rendis: quod procedit, quādo elec-  
tio, seu iudicium Episcopi esset  
irrationabile, de qao euidenter  
constare debet, alias appellatio  
etiam quoad effectum deuoluti-  
uum denegatur ex d. constit. Pŷ V.  
ut obseruat Rot. dec. 40 sub: nu. 1. p.

1: Recent. Greg. decis. 11. nu. 1. & 2.  
*Marescot. var. ref. lib. 1. c. 52. n. 24.*

52 In duobus tamen casibus da-  
tur appellatio tam quoad effectū  
deuolutium, quam suspensium,  
primo quando appellatur à sen-  
tentia Metropolitani, seu alterius  
Iudicis appellationis reuocatoria  
electionis prius facta ab ordina-  
rio in concursu: nam in tali casu

Iudex appellationis non potest  
exequi suam sententiam, nisi for-  
tē transuerit in iudicatum Bel-  
tram. ad Greg. decis. 538. in fin. Ro-  
ta coram Buratt. decis. 22. nu. 1. &  
seq. Secundo quando facta con-  
cursu appellatur inter praesenta-  
tos, vel Patronos laicos super per-  
tinentia Iurispatronatus, videlicet  
ab institutione facta ad pra-  
sentationem alterius ex patronis:  
tunc enim per appellationem  
etiam possessio suspendi debet, ut  
decisum refert *Barbos. d. par. 3. all.*  
*60. numero. 104.*

53 Adde quod etiam à reproba-  
tione examinatorum datur ap-  
pellatio quoad effectum deuolu-  
tiuum à die scientia, ut censuit  
*Sac. Cong. Concilij, quā refertur in-*  
*ter Decis. nouissim. Divers. part. 4.*  
*decision. 23.*

## S V M M A R I V M.

1 *Beneficia Iurispatronatus laicorum*  
libera sunt ab omnibus reserva-  
tionibus etiam in corpore iuris  
clausis.

2 *Non presumitur Papam velle*  
derogare Iurispatronatus laico-  
rum, nisi id expressè ex litteris  
confiterit.

3 *Si prima dignitas esset de Iure*  
patronatus laicorum, reservatio  
regula 4. *Cancellarie istam non*  
comprehenderet, sed aliam sub-  
sequenter.

4 *An beneficium Iurispatronatus*  
mixte sit exceptū ab huiusmodi  
reservationibus.

5 *Quando Iuspatronatus censem*  
tur ecclesiasticum.

6 *Inn.*

